



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

§. 1. Nomina.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

CYMBRI  
*la Iut-  
 lande.*

Degunt in reliquâ peninsulâ quæ ab iis Cymbrica dicta est, apud Plinium lib. 4. cap. 13. CARTRIS. Cymbrorum ciuitatem paruam fuisse suo tempore Tacitus ait, sed gloriam ingentem, ob maiores suos quos Marius obtriuuit. De eorum origine multa prostant fabulosa apud Plutarchum in Mario. Iis adiungendi sunt multi populi apud Ptolemæum in hac Cherionneso dispositi, sed quia eorum nulla in Historiis mentio lubenter præmittimus. Cymbros existimo posterioribus temporibus dictos esse IVTAS, quorum nomen remansit in IVTIA Daniæ, cum ipsi in Britanniam traiecissent.

TEVTONES, *les Isles de Dannemark.*  
 SVIONES, *la Suede.*  
 SITONES, *la Noruegue.*

De quibus capite sequenti dicemus in Scandiâ, sicut & de parte hæc Septentrionali, quam pertinuisse ad Germaniam antiquam multis probat crudité suo more Philippus Clucrius.

## CAPVT III.

*De Scandia & Insulis adiacentibus.*§. I. *Nomina.*

**I**N hoc vastissimo terrarum tractu veteres numerauerunt tres partes, Scandiam, Finingiam & Codani sinus minores Insulas. SCANDIA dicta est aliter Scandinauia, itemque *Baltia* apud Plinium ex Timæo, & Xenophonte Lampfaceno, ex Pythiâ autem *Basilia*. Videtur quoque *Nerigon*, apud Plinium nominari, & ut quidam arbitrantur *Bannomana*.

FENINGIA, seu *Finningia*, ab imperitis *Einingiam* vocari, ait Ioannes Magnus, sed tamen dicitur apud Plinium *Eningia*.

CODANVS SINVS, ita dictus videtur ab Insulâ Codanoniâ de qua postmodum, quia satius est mare à terris, quam terras à mari denominari, cum illæ sint proprius denominantium locus. Apud Plinium, Melam, & Tacitum dicitur *Mare Suevicum*, & *Germaniæ sinus*. Ptolemæo est *Sinus Venedicus* (quem Ioan. Magnus sic dictum putat à Vennis, seu Vandalis, alij à Venedis antiquis Sarmatiz populis) in quo agnoscit & *Sinum Clylipenum*, qui hodie

*Euonichus* est; & Plinius eiusdem Germanici sinus partem appellat *Sinum Lagnum*, scilicet ad Insulam *Langeland*. Postmodum ab Hermoldo, & Adamo Bremensi Balticum denominatur, nempe à *Baltia* Insula, de quâ in Scandiâ, cuius fauces inter Cymbri-  
cam Chersonesum, & Nerigonem ab iisdem assignantur.

### §. 2. *Quantitas.*

SCANDIA Xenophonti Lampfaceno apud Plinium dicitur *magnitudine immensa, & penè similis continenti*. Solino *Germanicarum Insularum Maxima*, aliàs *Britannicarum*, & meliùs. Apud Ptolemæum supra modum, & veritatem restringitur, ei enim longitudinis tres tribuuntur gradus sub gradu latitudinis 58. qui tantum reddunt 92691 passus, seu 737 stadia circiter. Procopius autem lib. 2. Belli Gothici decies maiorem Britannia facit.

FENINGIA non minor opinione creditur ipsâ Scandinaviâ: Ita Plinius.

### §. 3. *Qualitas.*

PROCOPIVS loco laudato, vbi sub falso Thules nomine describit Scandiam, hic solem ait existere supra terrâ diebus 40. quemadmodum & postea totidem latere Sed in tēpore turpiter aberravit, cum ait id contingere circa extremum æstatis & dum vergit in Autumnum & circa hyemis postrema, cum in utroque Solstitio dicere debuerit. Et cum Sol tandiu latet timere indigenas ne Solem perdant, nec repetitam experientiam abstergere timorem, ideoque mittere speculatorem in montes qui Solis reditum annunciet, qui multa cum voluptate recipitur.

### §. 4. *Mores.*

SCRITHIFINORVM mores sic depinguntur à Procopio lib. 2. Bel. Gothici. Belluarum in morem vitam degunt: toti sunt in venationibus, agros nusquam colunt: carne tantum vescuntur, & ferarum pelles quas nervis consuunt sibi aptant inconcinnè. Pueros lacte non nutriunt, sed medullis, & cerebellis animantium. Puerpera foetum enixa eum suspendit ex arbore in pelle ferinâ, &